



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum  
Societatis Iesu instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1602**

De statura corporis eius. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

528 VITAE IGNATII

uincia (quā verbo Dei illustrauit) notissimus, cū Patrem Ignatium cū socijs in mūdum à Deo misum audivit, eiusque propositum atque institutum intellexit, se quidem dixit, hoc idem quod ille afferebat, iam diu animo concepisse, & magno labore atq; studio cōquisuisse atq; indagasse, sed peruestigare tamen, atq; deprehēdere haud potuisse. Itaq; euenisse sibi aiebat, quod puer ad radices montis agenti, qui onus aliquot magni pondoris diu multumq; versat, & in fastigio montis toto conatu subuheret molitur, neq; tamen præ virium infirmitate potest: quod onus si vir aliquis, corporis mole & robore Giganterit, minimo negotio transferet scilicet quò volet, & in cacumine montis collocabit. Atque hac similitudine, pro sua modestia, vir excellens, se quidem pusillum, Ignatium verò Gigantem nominabat.

DE STATURA COR  
poris eius.

CAPVT XVII.

**S**tatura fuit modica, vel potius breui, cū eius fratres procera fuerint, & quæ iustum excideret. Facie ho-

nesta: fronte lœta, atq; exorrecta: de-  
pressis vi lacrymarum oculis: palpe-  
bris cōtractis, corrugatisq;: aurib. me-  
diocrib. naso & à sūmo eminentiore,  
& ab imo diductiore: colore viuido, ac  
temperato: caluitio, totoq; ore vene-  
rabilis: vultus illi iucundè grauis, & se-  
uerè iucundus: quiq; trāquillitate qua-  
dam, ac serenitate exhilararet intuen-  
tes, grauitate componeret. Ex altero  
crure nonnihil claudicabat, sed hone-  
stè, & quod ambulandi moderatione  
tegeretur. Callosos pedes, & nuditate,  
crebrisq; itineribus exasperatos habu-  
it: & crus alterum ex vulnera (vt dixi. Lib I.  
mus) imbecillum semper, ac tenerum: c. I.  
vt vel leuem contactum absq; dolore  
non ferret. Quo magis mirandum est,  
tantùm terrarum pedibus illum obire  
potuissé.

Principio maximis fuit viribus, pro-  
speraq; valetudine: quam ieuniorum,  
pœnitent: æq; magnitudine afflixit, &  
perdidit. Itaque læpè morbo tentatus  
est, maximeque stomachi dolore per  
omnem vitam grauissimo, inedia &  
vacuitate cōtracto. Fuit enī tenuissi-  
mi vulgarisq; vietus, & ita sobrius, vt  
tres interdum dies integrā aliquan-  
do hebdomadā omni cibo potuque

## 530 VITAE IGNATII

caruerit. Gustatum ita amisera, ut nul-  
lam ferè ex cibo delectationem perci-  
peret. Quapropter egregij medicis ne-  
gabant illum naturaliter ea corporis  
affectione, tamdu potuisse vire.  
Vestitus eius vilis, & neglectus, sed  
mundus: cultus ipse, sine cultu. Nam  
quod de sanctissimis viris Nicolao, ac  
Bernardo memoriae proditum est, pau-  
peritas semper ei placuit, fordes nun-  
quam.

Et quoniam staturam Ignatij atque  
oris & totius corporis habitum con-  
stitutionemque descripsimus, non  
erit alienum proposito nostro illud  
etiam adiucere. Nullam nos habere i-  
maginem, quæ ipsum ad viuum refe-  
rat: quod non obliuione tamen aut  
incuria factum est. Sed cum Ignatius  
neque pictam, neq; sicutam imaginem  
suam pati posset, neq; quippiam quod  
vanitatem haberet, aut vanitatis va-  
bram, ut hoc fieri promitteret, qui ab  
ipso petere auderet, ex omnib. nostris  
inuentus est nemo. Ignatio inscio ali-  
qua ad eam rem tentata sunt, sed fra-  
stra. Itaque imagines eius quoq; circum-  
feruntur, ex quadam ductæ sunt post  
ipsius mortem efficta. Quarum tamen  
omnium (nico quidem iudicio) pro-

ximē

ximè ad veritatem accedit ea quam  
Ildefonsus Sanctius, Philippi II. Regis  
pictor (qui exprimendis ad vivum re-  
bus maximè excellit) me præsente &  
commonente, ex prototypo Romano  
Mantua Carpentanorum depinxit,  
hoc ipso anno salutis nostræ M. D.  
LXXXV.

# VITÆ IGNATII LOIOLAE

LIBER QVINTVS

P R A E F A T I O .

**A**CTE N V S de vita  
Ignatij, & morte dixi-  
mus, quæ nobis ad conti-  
nuationem quādam hi-  
storiæ, seriemq; cōtexē-  
dā pertinere visa sunt. Nunc operæpre-  
tium me facturum arbitror, si aliqua  
de eius virtutibus separatim dixerim.  
Quanquam enim in ijs, quæ de Ignatio  
explicata à nobis sunt, omniū virtutū

Z 3

illius